

A fuerunt uiri, præsertim cum apud eos ipsos, à quibus audiri nomen nostrū potest, nemo unius anni memoriam consequi possit: Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est unius astri, reditu metiuntur. Re autem ipsa, cum ad idem unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemq; totius cœli descriptionem lōgis interuallis retulerint, tum ille uerè uertens annus appellari potest, in quo uix dicere audeo, quàm multa hominum secula teneantur. Namq; ut olim deficere sol hominibus extinguiq; uisus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetrauit: ita quandoque cum ab eadem parte sol eodemq; tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellarisq; reuocatis, expletum annum habeto. Cuius quidem anni nondum uigesimali partem scito esse conuersam. + Idem agere perseuerat, instans dissuasio-

B ni gloriæ desiderandæ. Quam cum locis arctam, nec in ipsis angustijs æternam supra docuisset, nunc non solum perpetuitatis expertem, sed nec ad unius anni integri metas posse propagari docet: cuius assertionis quæ sit ratio, dicemus. Annus non is solus est, quem nunc communis omnium usus appellat: sed singulorum seu luminum seu stellarum emenso omni cœli circuitu, à certo loco in eundem locum reditus, annus suus est. Sic mensis, lunæ annus est, intra quem cœli ambitum lustrat. Nam & à luna mēsis dicitur, quia Græco nomine luna *μήνη* uocatur. Vergilius deniq; ad descriptionē lunaris anni, qui breuis est, annum qui cursu solis efficitur significare uolens, ait:

Interea magnum sol circumuoluitur annum.

C Magnum uocās solis, comparatione lunaris. Nam cursus quidem Veneris atque Mercurij penè par soli est. Martis uero annus ferè bienniū tenet: tanto em̄ tempore cœlum circumit. Iouis autem stella duodecim, & Saturni triginta annos in eadem circuitione cōsumit. Hæc de luminibus ac uagis, ut sæpe relata, iam nota sunt. Annus uero qui mundanus uocatur, qui uerè uertens est, quia conuersione plenè uniuersitatis efficitur, largissimis seculis explicatur. Cuius ratio est talis: Stellæ omnes, & sidera quæ infixæ cœlo uidentur, quorum proprium motum nunquam uisus humanus sentire uel deprehendere potest, mouentur tamen, & præter cœli uolubilitatem qua semper trahuntur, suo quoq; accessu tam sero. promouētur, ut nullius hominum uita tam longa sit, quæ obseruatione continua factam de loco permutationem, in quo eas primum uiderat, deprehendat. Mundani ergo anni finis est, cum stellæ omnes omniaq; sidera q̄ a planes habet, à certo loco ad eundem locum ita remeauerint, ut ne una quidē cœli stella in alio loco sit, quàm in quo fuit, cum omnes aliæ ex eo loco motæ sunt: ad quem reuersæ, anno suo finem dedere: ita ut lumina quoq; cum erraticis quinq; in iisdem locis & partibus sint, in quibus incipiēte mundano anno fuerunt. Hoc autem, ut physici uolunt, post annorum quindecim milia peracta contingit. Ergo sicut annus lunæ, mensis est: & annus solis, duodecim menses: & aliarum stellarum hi sunt anni, quos supra retulimus: ita mundanum annū quindecim milia annorum, quales nunc computamus, efficiunt. Ille ergo uerè annus uertens uocandus est, quem non solis, id est unius astri, reditu metiuntur: sed quem stellarum omnium in quocunque cœlo sunt, ad eundem locum reditus, sub eadem cœli totius descriptione concludit. Vnde & mundanus di-

e iij ci-

Annorum di-  
uersitas.

+ Verba to-  
mēlatoris.

Al. discretio-  
nem.

Aeneid. 3.

Al. promouēt.